



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Bononiensia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

ITEM,

*Cosmus in has edes meliora volumina xboꝝ  
 Transtulit, & primas, quas habet orbis opes.  
 Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus,  
 Rem sibi tum mundo cœlitibusq; parem.*

---

 BONONIENSIA.
 

---

IN BONONIAM IVL. CAES.  
 SCALIGER.

**P**ost diras rerum clades. Fatigq; superba  
 Imperia & Martis qua fera iussa tuli,  
 Hic primum meq; atq; alios cognoscere cœpi:  
 Deposuiq; animi barbara sceptrâ mali;  
 Et didici, quàm non fueram, quàm deinde futurum:  
 Quem bona abortiuum sic tuerere parens,  
 Quæ causas, quæ cunetarum primordia rerum,  
 Quæ diuini operis prima elementa doces.  
 Cœlestesq; plagas, & sanctæ commoda vita,  
 Et si quæ è numero nata figura latet,  
 Cùm reliquas superes diuinis legibus vrbes:  
 Non sulci omnigeno germine cedit honos.  
 Arma viri connata: animus conterminus astris:  
 Atq; ardens vita stat melioris amor.  
 Si ciues dederas, si magna Hetruria leges:  
 Accipe, quæ posui dicere: reddo libens.

IN D. PETRI,

BASIANI, PRAECEPTORIS AZONIS.  
 Hoc tumultata iacent BASIANI membra Lapilla.



Quis sit, metra docent qua subscribuntur in illo.  
 Huic legum latus paruit victoria castris,  
 Nunc cedens fati socialibus insidet astris.  
 Canonica coluit scriptura plenius ortum,  
 Qua duce promeruit caelestem cernere portum.  
 Hic erat Italia sydis, reuerentia fratrum,  
 Flos roseus patria, decus orbis, gloria patrum,  
 Obsequijs promptus, humilis, iocundus, apertus.  
 Si tres excipias annos de mille ducentis,  
 Terminus occurret, quo mortis iura subiuit.

M. C. XCVII.

IN EODEM LAPIDE.

Inuidus è medio Basianum finis ademit,  
 Cuius membra breuis hic sita petra premit.  
 Summus in alterutro Doctoris Iure peregit  
 Haec tenus officium, quem lapis iste tegit.  
 Lara duo potuit natura ius superare,  
 Hac duo de proprio mors fugat vna lare.  
 Illius meruere sinu duo iura locari,  
 Solus in Italia qui fuit absque pari.  
 Non sibi sed vita moritur fons iuris, & aret,  
 Non is eâ, sed eo vita moderna caret.  
 Quisquis in istius cathedram succedere querit,  
 Fontis respectu riuus ineptus erit.  
 Hunc sociat summi Pauli conuersio turmis.

IBIDEM.

Viator si cupis scire qui sim? Iohannes Pla-  
 teus Civilis Pontificijque Iuris cultor & scri-  
 ptor. Monumentum enim vetustate corruptum  
 destructumque, renouatum decreto Cardinalis  
 Iulia-

Q 5



Iuliani Reueren. Bononi. Episcopi ac Principis  
virtutum bonorumque virorum fautoris, cui Bo-  
nonia patria debet permaxima. Conciues mei, ro-  
gatos vos volo, vt pacem habeatis: Deum time-  
dateque illi honorem, iustitiam colentes, aduersa  
prospera tolerate, & bene erit.

Procurante Francisco Guidizono Cardi-  
nalis familiari, An. salut. 1502. 13. Ca-  
lend. Febr.

## MARTINO AGRIPPÆ

Mediolanensi, huius ædis Canonico, alijsque  
Sacerdotijs insigni.

*Si doctrina, vigor mentis, facundia, virtus,  
Ius in fata habeant, saluus AGRIPPA foret.  
Heu quàm rara ad eos solet aduentare senectus,  
Qui nimis animi dotibus exsuperant!*

## IBIDEM.

*Hic Guilielmus erat Lucensis origine dictus,  
Cui meritò nomen lucis origo dedit.  
Sacra doctrina titulis & honore magistri  
Lucens, Italicis lucifer alter erat.  
Quod prius in speculo cernebat; lumine vero  
Nunc cernit, deitas nunc patet ipsa sibi.  
Post vitam vita si uitur, Mors pocula mortis  
Huic dedit: ad vitam sumsit & hausit ea.  
Augusti sibi prima dies fuit vltima vita,  
Huius & ad vitam maxima prima fuit.  
Anno milleno centeno septuageno  
Octauo Domini, mors sibi vita fuit.  
Vt moriens semper viuas:  
Semper viue vt moriturus.*



## IN S. PETRONIO.

## THEODOSI CAES. PRIVILEGIUM.

Ne bonæ artes, cunctaque disciplinarum dogmata depereant; cum mores, sanitas, iudicia, ceteraque id genus optimis doctrinis gubernentur: NOS THEODOSIVS Dei gratia Rom. Imperat. Augustus, commoditate & fertilitate loci capti, v. ac XX. mensium pensitato consilio, in dignitatis nostræ folio sedentes, generali Christianorum conuocato concilio, summo Pontifice Cœlestino, Cardinalibus XII. Archiepiscopis Episcopisque innumeris, alijsque in varijs dignitatibus constitutis Principibus ac Ducibus Christianis, Balduino quoque Flandren. ac Gualterio Pictanien. Comitibus legatis, quorum alter Ludouici Franciæ, alter Philippi Angliæ regum, illis arduis negotijs addictis vicem gesserunt, sedente etiam centum Senatorum collegio, BONONIAM omnium scientiarum fontem, arcanorum nostrorum armarium, perennem studij sedem fore, hac inuiolabili indulgentia decernimus, volentes insuper, vt omnes sententiæ, à iudicibus, qui in alma hac ciuitate per quinquennium saltem non studuerint, latæ, nullæ penitus existant: & si quis ad magistratus promotus dignitatem, ab alio quàm ab Archidiacono Bononiensi librum magistralem susceperit; quanquam id quarumlibet facultatum periti præstiterint, approbauerintque; eum auctoritate nostra omni dignitate priuamus. Si quis verò Scholasticos ad studium hoc euntes abeunte seu ausu temerario offenderit; capite puniatur. Hoc ni Præsides exequatur, eadem illum

lum



lumpœna affici iubemus. Huius autem sacre constitutionis exemplar, Bullâ aureâ maiestatis nostræ munitum, manuque Ciceronis curiæ nostræ notarij scriptum, ad perpetuam rei memoriam, Petronio Episcopo Bononiensi, ex Cæsarum Constantinopolitanorum sanguine orto, idem summis precibus efflagitanti ac procuranti, gubernandum, custodiendum, omnibusque viribus exequendum tradimus ac concedimus. Romæ in Capitolio, Anno Dominicæ natiuitatis, CCCC. XXIII. die IX. Maij.

## D. O. M.

Ameliensis Pontifex Naccius hîc est Cæsar, qui vicem gerens legati Bononiensium, summa æquitate ciuibus ius reddidit, mox annum agens peritium & sexagesimum concessit orco,  
Vixit, dum vixit, bene.

## IBIDEM.

GRATIANI CLVSINI Cæsarei Iuris & Pontificij enucleatoris propè diuini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde absolutis ibidem opus decretorum, anno gratiæ M. C. LI. compilauit, monumentum, quod illic carie obforderat, hîc magnificentius renouatum est. Ioannes Franciscus Aldrouandus Bononiensis IV. Dictator ære publico instaurauit. Anno salut. 1498. Idibus Iunij, Iohanne Bentiuolo I. I. P. P. Rempubl. feliciter gubernante.

## IBIDEM.

PHILIPPO BEROALDO Seniori, cui Bononiensi, Viro omnium, quos ætas sua tulit, eruditissimo atque eloquentiss. eidemque humaniores



teras Parmæ, Lutetiæ, atque in patria summa cum ingenij laude atque audientium admiratione professio, Phil. & Vinc. F. F. hæredes ex testamento P. P.

*Inunc, & vigila, noctesque absume legendo.*

*O hominum curæ, cæptaque vana nimis!*

Vixit ann. LI. M. VIII. Obijt an. M. D. IIII.

O literæ, ô cantus, ô Apollines: vobis in posterum (heu!) quid fiet?

---

IN S. FRANCISCO.

ALEXANDRI CAPRARIÆ

Ossa hîc conduntur, qui agens LVIII. annum, migravit eò, vnde discessit, vt ibi perpetuo quiescat. Hieron. Patri B.M.P. anno M. D. LVII.

---

IBIDEM.

POMPEIO PEREGRINO Artium & Medicinæ Doctore, & Equiti. Vixit ann. XLVIII. M. IIII. Obijt anno M. D. XLII. Prid. Kal. Martij.

*Qualis erat bello Pompeius, corpore, & astu,*

*Talis erat studio, viribus ingenij:*

*Intima natura merito scrutatus, at illa*

*Huius cognomen par dedit ingenio.*

---

FRANCISCI GISLERI.

*Franciscus iacet hoc Gislertus marmore, cuius*

*Nulla vnquam in sanctis lis perijt manibus.*

*Perdidit hanc litem tantum, quam ferrea mouit*

*Atropos. ast extra lis fuit ista forum.*

---

IBIDEM.

BONAPARTES GISLERVS Georgij F. Senatvs Bonon. Scriba ISOTAB CALDERINAE, cum qua



qua vixit XLV. annis sine iurgio, & sibi & suis,  
posterisque eorum, pietatis, naturæ, legum atque  
officij memor Pos. anno à partu virginis M. D.  
XXVII. Vixit illa ann. LXIII.

Hominum luxus, fastus, delitiæ, quæ vitam vi-  
talem esse non sinunt, heu quò redeunt!

---

MARSILII, S. SOPHIAE MEDICI.

*Viuat vt æternum, vita iam munere functus,  
Hoc præstat virtus, quæ facit vna Deos.  
Sic inuect a polo supera mens regnat in aula,  
Vndique per terras inclyta fama viget,  
Quæ mortalis erat, iacet hic pars condita, magni  
Exuvias animi colligit vna brevis.  
Quumque procul latè resonet sua gloria, saxum  
Accipit exiguis nomina magna notis.  
Marsilius Patavus, cui dat gens alma Sophia,  
Bononia Medicus, dum docet, occubuit.*

---

ANONYMI.

*Non potuit Medicus, medico præstare salutem,  
Sis ergo Medico, tu medicina Deus.*

---

D. O. M.

Frater ALOYSIVS PVTEVS Burgon. ex  
Minoribus Observantibus hîc situs est, quem om-  
nes, qui aliquam eruditionis, administrationis  
quæ famam in familiam suam attulerunt, Magi-  
strum, qui Republic. Franciscanæ administræ-  
runt, exemplum sibi adsciverunt. Qui verò in  
Concilio Tridentino interfuerunt, quò ille à  
Pio IV. Pontif. Max. missus adfuit, veramque do-  
ctrinæ & sapientiæ laudem mirificè comproba-  
runt.



runt. Qui Prouincialia & Generalia munera tam-  
 diu exercuit, tot Italiae suggestus concionibus ce-  
 lebrauit, Scotum tantâ diligentia, & voce, & scri-  
 ptis explicuit, vt vix vllam horam vacuam aut  
 meditando, cum assidue ageret; aut agendo, cum  
 perpetuo meditaretur, habuisse videatur. De-  
 mum ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus, stu-  
 dijs magis, quàm ætate, confectus, grauibus Apo-  
 plexia, per IIII. annos incommodis diuexatus,  
 Christianæ patientiæ nobile nobis exemplum re-  
 liquit. Obijt IX. Nouemb. M. D. LXXX. AËta-  
 tis suæ LXXIII. Tanto viro B. M. frater Hierony-  
 mus Imolenfis M. H. D. C.

## IN S. SERVATII.

## TRINITATI SACR.

AZONI Iurisconsultorum numini, Anno gra-  
 tiæ M. C. C. hic tumulato, in sepulcro vetustate col-  
 lapso, ac inter rudera vix agnito, Ioan. Franciscus  
 Aldrouandus Dictator & Cofs. Bononiensis, pub.  
 impensa conciuui suo B. M. memoriam posuit. An-  
 no sal. 1496. v. Id. Octob.

## AD S. DOMINICI.

## IN BIBLIOTHECA.

*Dicta fui Bologna prius: nunc Iulia dicor  
 Bibliotheca, sacris adibus hic posita.  
 Maximus huc veniens pastorum, Maximus ille  
 Iulius, hoc nomen prabuit ipse mihi.*

## IN TABVLA AENEA.

Viator, quisquis es, siste gradum, & quod scri-  
 ptum est perlege: vbi perlegeris; pensita. Hoc is  
 cuius causa scriptum est, fieri rogat.

Orto



Orto inter Bononienses & Mutinenses bello, Cæsar Fridericus II. Rom. Imperat. filium Heritium Sardinia & Carficæ insularum regem, Mutinensibus suppetias ferre mandauit, qui inno apud D. Ambrosij pontem certamine, à Bononiensibus capitur, nullaque re, vt dimittatur, impetrat, cum pater minis, dein precibus & precibus deprecatoribus vteretur; cum tantum auri pro dimendo filio polliceretur, quantum ad moenia Bononiae circulo aureo cingenda sufficeret; sic captiuus XXII. annos, menses IX. dies XVI. teneatur, alturque regio more, publica Bononiensium impensa. sic defunctus magnificentiss. ac pietiss. funeratus hic tumulatur. Præterea simulacrum hoc in perpetuum, & hosti, & captiuo monumentum S. P. Q. B. posuit. Anno salut. M. CC. LXXXII. Id. Martij. Hoc volebam vt scires. abi & vale.

Positum ære pub. Ioan. Francisco Aldrouando Dictatore.

D. O. S.

IOANNIS DE IMOLA, Pontif. Cæsar. q. I. C. ossa, in supposito Gerisendorum sepulcro requiescunt. MINVS GERISENDVS L. L. & ipse interpres amico suo coniunctiss. F.

BARTHOLOMAEI SALICETTI I. C.

*Hoc tumulo legalis apex, dulcissimus ore,  
Et patriæ lux alma sua, pietatis amator,  
Iustitiæque sacra clypeus, baculusque cadentum,  
Qui iuuenis multoque etiam venerabilis ævo  
Edocuit, super auit eum nec pœna laboris  
Scribendo & pariter luris nucleando tenebras,*

De Sa



*De Saliceto requiescit Bartholomæus.*

Obijt 1412. die 25. mens. Decemb.

Vixit ann. LXXVII. D. X.

IBIDEM.

CAESAR NAPAEVS Matthæi F. viuens sibi, posterisque suis, & coniugi Fec. Anno M. CD. XCIV. Kal. Iul.

Peto, ne quis nos inquietet, aliterve ponat, neve commutet, neve etiam alius inferatur, vt die Censoria hic vnâ resurgamus. quid ad vos?

IBIDEM.

Hic sita sunt ossa MARCI ANTONII FLAMINII Forocorneliensis, de vtraque lingua B. M. Anno M. D. XXXVI. XV. Kal. Iunij.

VVENCESLAI BORGARDI.

Incomparabile, ô viator exemplum, constantiæ atque continentia sancta integritate & inclinata fide illustre, bonarum & artium, cippus enaspice vt paruus tegit. Quid hoc quæris? VVenceslaus Borgardus Olmonte ortus (Morauia ea vrbs est, Iulium montem vocant Latini) is vnicus patri, nuper Bononia vnico vnice salutem optans adferre amico, peste mortuus occumbit. Plura iste non capit lapis. Vale igitur, atque his pia ossibus dic verba, si es pius. Vixit annos XXVIII. menses X. Obijt M. D. XVII.

ALIVD.

MARTINI SVLIMANNI, cuius præclara in lure extant opera, humana hic ossa quiescunt. Lapidea hac memoria illi posita est, anno salut. M. D. XXVII.

R

IBI-



## IBIDEM.

Hic ossa AVGVSTINI CIANZON Corfici  
Sardiniensis quiescunt, qui ob armorum tumultu  
in foro Bononiensi excitatos, ex lege vinere desip.  
Tibi pax viator. M. D. XVII.

IN AMBITV MONASTERII  
GERMANORVM.

*Siste gradum, specta monumētum hoc, quaso, viator,  
Quod pia, quod cultrix legum Germana luuentus  
Condidit, vt genti pateat commune sepulcrum,  
Vt Germanorum manes post fata quiescant,  
Sacraparentali capientes annua ritu.*

M. D. I.

O quam fragilis, (ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ) ruit  
voluptas.

## IOANNIS VOLZII.

*Tu quicumque sagax veterum monumenta reuoluis,  
Te si fortè mei nominis ardor habet;  
Hac lege: Ianus eram dictus cognomine Volsus,  
Arctooque meum claruit orbe genus.  
Limpergo fueram, quod Chiron iustus Achilli,  
Et quod Pellao Stagiritanus erat.  
Ad Romam admissa dum fortè piacula labis  
Accepturus eo, contegor hoc tumulo.  
Georg. Limperger, Dei gratia Episcopus Bam-  
bergensis, Ioanni Voltz præceptori suo  
hoc sepulcrum posuit.*

## HIERONYMI BORAGINEL.

*Me Lubeca tulit, docuit Germania linguas,  
Ad studia huc missum mors truculenta rapit.*



Non ferrum, non vlla Venus, Bacchusque peremit,  
 Sed studij nimius proh dolor hausit amor.  
 Nam dum Phœbe tuas aestiuis solibus herbas  
 Persequor, inuasit pectora seua febris.  
 Iam ter fortè nouem, studio qua vit a peracta est,  
 Annos attigeram, cum rapit hora nocens:  
 Ab tua, qui fueras medicus, vestigia frustra  
 Insequor, ô genitor, cum necer ante diem.  
 O patria, ô germana vale soror vna relicta  
 Qua fueras: hac me mors tumulauit humo.

An. sal. M. D. XXXV. d. 27. Aug.

## IBIDEM.

Hoc situs in tumulo est Gulielmus gloria gentis  
 Anglorum, quem mors traxit ad Elysios.  
 Nam modò festiuos dum spectat ludere bombos,  
 Bombarda fractus viribus occubuit.  
 Proh dolor ergò homini quanam fiducia Mortis,  
 Si iugulant etiam quos putat ille iocos?

## ARTURO COO ANGLO.

Quid fles viator? an quod agnoscis tui  
 Cinis sepulcrum patrio procul solo?  
 Nil nostrum ob hoc malignius fatum fuit:  
 Eadem vndecunque prorsus in talum est via.

III. Non. August. Anno Domini M. D. V.

## IN S. MARTINI.

ALEXANDRI ACHILLINI BONON.  
 Hospes Achillinum tumulo qui quæris in isto,  
 Falleris: ille suo iunctus Aristoteli est;  
 Elysum colit, & quas rerum hic discere causas  
 Vix potuit, plenis nunc videt ipse oculis.

R 2

Tumo-



*Tu modò, per campos dum nobilis vmbra beatos  
Errat, dic longum perpetuumque vale.*

## IVLIO BOCCHIO

Romæi F. ea pietate, fide, modestia, vt nec minimi  
detractionibus, nec augeri laudibus possit. Vixit  
ann. LXXVII. M. I. D. XXV. Obijt x. Kal. Septembri  
M. D. XXV.

## IN SERVORVM AEDE.

SCIPIONIS BARGELINI  
Iurifconsult.

*Mors dicam tibi verior a veris:  
Nunc quanquam tumulo cadauer hocce  
Claudis, id nihil, id nihil putamus:  
Virtus, fama, scientia huius, & spes  
Non possunt tumulo profano claudi.  
Quid mors ergo tenes? quid assequuta es?*

## AD D. PROCVLI.

*Si procul à Proclo Proculi Campana fuisset,  
Tunc procul à Proclo Proculus ipse foret.*

GASPARIS CONTARENI  
CARD.

*CONTARENE tibi pietas dum dia parentat,  
Et queritur longo amissum Resp. luctu:  
Ite, ait, illustres anime, vitalia secla  
Heroum, & vestro Athleta exornate sepulcrum  
Floribus: hic veris docuit rationibus esse  
Immortalem animam, summa de mente creatam.  
Obijt nondum sexagenarius An. M. D. XLII.  
IANVS VITALIS amico pos.*

AD



## AD S. MARIAE ANNUNCIATAE.

*Parma parens, primos Mirandula cedit honores,  
 Declarat ciuem me Imola grata suum.  
 Ad se docta vocat me tandem Felsina; deflent  
 Artes me Medica, docta cohorsque virum.  
 Deflent maesta vrbeis ipsa, ciuemque reposunt  
 Imola, Mirandla, Felsina, Parma parens.*

Ioanni Baptistæ Theodosio Medico F. F.  
 pientissimi P. P. Vixit annos LXIII.  
 Obijt M. D. XXXVIII. mens. Se-  
 ptemb.

## ALOYNO GEORGIRIO

Epidauro ex Dalmatia, viro tum Philosophiæ,  
 tum Medicinæ scientia eximie ornato, atque et-  
 iam historiarum, Astrologiæ, imprimisque Cos-  
 mographiæ ac Geographiæ, quas non tam ex li-  
 bris, quam ex diuturna terrarum, perlustratio-  
 ne sibi ascuerat, cæterarumque Mathematica-  
 rum artium omnium cognitione clarissimo; ami-  
 co & ciui opt. merito BONIFACIUS A STE-  
 PHANIS Episcopus Stagninus moestis. Pos.  
 Obijt anno M. D. LXV.

AD S. VICTOREM EXTRA  
 vrbem.

VGOLINI DE FONTANA LL.  
 gloss.

*Transit vt viuat mundanæ legis alumnus,  
 Mors sit ei requies, vltima vita DEV S.  
 Vrbis honor, mundi speculum, iacet hic Vgolinus;  
 Spiritus astra tenet, corpora signat humus.*

R 3

Cui



*Cui fortuna manum reuocans concessa tetendit,  
 Cui lex vberius vbera plena dedit,  
 Mens legum cecidit, reliqui latitant Pharisæi,  
 Christus qui nouit parcere, parcat ei.  
 Mens respondebat veraci consona lingua,  
 Et par effectus cordis & oris erat.  
 Fraudis, nequitia, liuoris & ambitionis  
 Inter conciuēs vnicus hostis erat.  
 Mors voluit mundum sub certa lege teneri.  
 Nam cinis est hodie, qui fuit ignis heri.*

An. Dn. M. C. LXVIII.

IN SCHOLA PVBLICA  
 BONONIENSI.

GREGORIO XIII. Pont. Max. annuarum re-  
 uolutionum felicis. restauratori.

*Tempora qui seros Phæbi referentia gyros  
 Toto, sancte senex, orbe venire facis,  
 Scilicet vt redeat nanquam reuocabilis annus,  
 Atque suum teneant festa sacra diem:  
 Na tu caliculis gratum, atque perutile nobis,  
 Immortale tibi conscis auctor opus.*

Sub felicibus auspicijs magnificorum D. D. D.  
 Ioannis Baptistæ Bergarotti Parmensis, & D. Viti  
 Antonij, Horatij de Curtis Mursonensis, Vniuersi-  
 tatis patronorum medicorumque priorum meri-  
 tissimorum die xxx. mens. Decemb. Anno Domi-  
 ni M. D. LXXXII.

IN AVDITORIO MAGNO IV-  
 RISCOVSULTORVM.

Principem Gymnasij classem, vrbis ornamen-  
 to, ciuitatis splendori, & posteris incitamento,



**BONONIENSIA.**

263

consiliarijs bene gestæ administrationis memoriæ relinquendæ, ac bene meritis se officijs deuinctos ostendendi studio; eorundem generis, nominis & honoris insignibus placuit exornari. Anno ab ortu Christi M. D. LXIX. Pij V. Pont. Max.

**ITEM.**

Vniuersitas Legum studiosa, veterem huius Auditorij dignitatem animo repetens, atque eidem in posterum, quoad possit, consulere cupiens; nouis his insignium suorum ornamentis cohonestandum curarunt, Annuente Dn. Ioanne Baptista Saluago Genuense Vniuersitatis Priore dignissimo. Anno à Christo nato M. D. LXXI. Gregor. XIII. Pont. Max.

**IN AVDITORIO I. C. III.**

Bonon. Gymnasij adulescentes nobiliss. vtramque Iuristarum Vniuersitatem consilij prudentia & fidelitate gubernantes, sui præceptoris nomen honorificè illustrare, harum ædium splendorem magnificentius augere, bene gestæ administrationis memoriæ relinquere, ac eiusdem muneris vicarios ad honestam æmulationem excitare studentes, ad classem hanc publicam suæ familiæ ac nobilitatis imaginibus publicis exornandam, æ publicum erogari iusserunt. An. Dom. M. D. LXXVII.

**IN MEDICORVM AVDITORIO.**

D. O. M.

Gaspari Talcacotio cui Bononien. Philosopho ac Medico ætatis nostræ celeberrimo, cum vniuersam humani corporis anatomen in doctissimor. virorum frequentiss. conuentu publicè administratam, facundiâ, methodo ac doctrina ad-

R 4 mira-



mirabili explicarit; eiusque incompetas ad huc partes in lucem prodiderit; animi grati & perpetuae memoriae ergo Lect. medicique P. P. ordinariae anatomes ab illo administratae monumentum.

IN AVDITORIO INFERRIORI.

*SVMMA PRIVILEGII AB IMP. CAES. Fl. Theodosio iuniore Aug. Gymnasio Bononiae concessi.*

Qui Praetor, Indexve quinquennio in Bononiae Gymnasio studiorum causa non consumpto, ad iudicandum accesserit, eius decreta sententiae irrita sunt.

Qui Doctor in ordinem afficitus, libro à maiori Ecclesiae Archidiacono non accepto, fuerit; eius dignitas, licet peritorum omnium suffragijs comprobata, prorsus nulla esto.

Qui Scholarem aliquem ad Gymnasium Bononiae pergentem manu verbove offenderit, capitis reus esto.

Qui Magistratus, prout Magistratus, iniuriam scholari illatam persequi praetermiserit, eadem poena tenetor. Anno Domini M. D. LXVII.

Qui honestissimi huius consilij participes erunt facti, in primis operam dent, ut iura, instituta, mores, consuetudinesque omnes, quae ad huius Scholae commoda auctoritatemque tuendam pertineant, summa cura custodiantur.

Rectori Scholae maximus idemque meritus honos ab omnibus habeatur.

Legitimi publicarum professionum dies diligentissime obeantur.

Pro-



Professorum ipsorum dignitas quam maxime  
obseruetur.

Inter scholasticorum nationes æterna piaz; pax  
concordiaque conseruetur.

Exornatus, ad vr̄bis & scholæ dignitatem, ex  
auctoritate eorum, quorum insignia circumpicta  
sunt, & extotius Consilij, locus esto. Anno Domi-  
ni M. D. LXXVIII.

---

 IN ALIO AVDITORIO.
 

---

*Este pares, & ob hoc concordēs viuite, cum vos  
Et decor, & studium, & munus sociarit & etas.*

---

 IN PORTICV INFERIORI.
 

---

Moderatoribus optimis assidua cogitatione cu-  
rantibus, vt inclytæ huius Academiæ splendor &  
dignitas, ad vtilitatem iuuetutis, ex cunctis regio-  
nibus studiorum gratiâ confluentis, incrementum  
accipiat; Priorum, ac Consilij Vniuersitatis Philo-  
sophorum & Medicorum illis diutinam Maiestatis  
felicitatem, sibi que patrociniū precati, exi-  
guam hâc, sed quam præ imbecillitate sua possunt,  
maximam grati animi significationem memores  
officiorum p p.

Procurante hanc memoriam Magnifico ac ge-  
neroso viro D. Iosepho Zacconio de Fano Priore  
dignissimo. Anno Domini M. D. LXXXIII. die  
XXIV. Decemb.

---

 IN AVDITORIO INFERIORI.
 

---

I.

*Magister esto diligens, doctus, vigil,  
Veriq; amator, & alieni commodi:*

R 5

Auditor



*Auditor at tu sis laboris appetens,  
Magistri amator, & imitator sedulus.*

## I I.

*Consultor hic, ut cumq; tempus postulat,  
Adesto. semper publicum negotium  
Curato; agendum quid sit in presentia,  
Videto; longè providens in posterum  
Caueto; partes sic tuas tuebere.*

## IN SCHOLA HISPANORVM.

AEGIDIUS ALBERNOTIVS S. R. E. Card.  
Primas Hisp. totius Italiae Legatus, qui Sedem Ro-  
manam diu Auenione exulantem Italiae restituit,  
haec aedes publicae iuventutis Hispaniae comode  
construi iussit, quas Ferdinandus Hispalensis Princi-  
ps à fundamentis refecit, ann. post Christum Nat.  
M. CCC. LXV.

## IBIDEM.

AEGIDIUS Card. crucis spectabili virtute,  
Petri patrimonium tyrannica saevitia rabente,  
et turbinibus agitatum, recuperata pristina libe-  
rertate Reip. in tuta pace quiescit. Anno M. CCC.  
LXIII.

## IN PALATIO BONONIENSI.

CLEMENTIS VII. PONT. MAX. ET CAROLI  
V. Caesaris Imper. vnanimis, stabile  
firmamentum.

CLEMENS VII. Pont. Max. ut Christianam  
Reip. statum reformaret, cum Carolo V. Caes. Im-  
per. Bononiae congressus est. In hanc urbem Carolus  
Non. Nouemb. anno Domini 1529. introiit, pro  
tempore



templi foribus, de more, Pontificem M. adorauit: eius auctoritate & consilio, cum restituito in auxilium regnum Francisco Sfortia, ac Venetis pace data, cuncta Italiae otium ac tranquillitatem diu operam reddidisset, Imperij coronam hoc pompa ordine accepit. Fenestra hæc ad dextram fuit porta prætoria, ea ingressus Cæsar per pontem publicum, in ædem D. Petronij deductus, sacris ritibus peractis, à Pont. Max. auream coronam, & imperij cætera insignia accepit. Inde cum eo triumphans, exercitu ornatissimo præeunte, urbem perlustrauit, cum ambo in eodem prætorio, totam hyemem coniunctissimè de summa rerum deliberantes, egissent. Cæsar post suum aduentum mense v. in Germaniam, ad tumultus impiorum ciuium sedandos, & bellum Turcicum cum Ferdinando fratre Pannoniæ rege apparandum, profectus est. Huius rei monumentum hoc, Innocentio Cibo Cardinale legato auctore, Vberto Gambarà urbis præfecto, referente S. P. Q. B. extare voluit. Non. Nouemb. 1530.

LEGES VILLICAE SEU GENIALES  
PROPE BONONIAM IN AMOENISSIMO  
pradio foribus inscriptæ.

Hanc Villulam, atque hunc agellum, qui animi aut valetudinis causa inuiserint, ne voluptas valetudinem, corporisve curatio voluptatem corrumpat; neque locus, quæ sacer est, violetur, aut quæ cultus est, deseratur; hæc obseruant leges.

Deum Opt. Max. proxima in æde primùm venerant. Quiduis postea lustrando, se vbiuis exsecuto, vbiuis quiescunto: sed hoc citra languorem,



rem, cis sudorem illud. Seruorum greges importu-  
 norum non modò à pomarijs, sed procul ab vni-  
 que pomærio interea excluduntur. Si quoscumque  
 ministerij causa voluerint, paucos & modestos  
 introducunt, qui nec hilum attingunt, inco-  
 sulto villico. Eis abeuntibus, pro anni tempore  
 pro rerum copia & inopia, pro cuiusque perfectis  
 flores, frondes, ramusculos, poma, olera, virtus  
 villicus distribuit. Quos ruris dominus ad pre-  
 dium cœnamve inuitarit, curæ, mœrores, tristitia  
 in urbem remittuntur: voluptates honestæ, iocun-  
 ditas remanent. Mensæ eleganter & splen-  
 dè sine luxu ac pompa, aprico opacoque loco pro  
 anni tempore parantur. Dapes solito lautiùs ac  
 copiosius, sed ad vitam viuendam, non ad mortem  
 maturandam, apponuntur. Pocula, quæ sitim pe-  
 lant, non quæ hospitem obruant, potantur. Im-  
 rim auium concentu & aquarum murmure se ob-  
 lectant. Iis silentibus, Iopæ, Amphiones, Orphæi  
 loquaces compescendo; aureis mulcent. Remo-  
 tis mensis atque arbitris suis, cuique conuiuarij  
 mores paulo liberius pati, seni, iuueni, facere, de-  
 caci vel ad ineptias vsque, fas esto. Si qua licentia  
 poti dixerint, fecerint; ea in vrbe alijs narrare, aut  
 omninò in memoria habere fas non esto. Scorta,  
 scurræ, parasiti, præstigiatores, arioli, ac eiusmodi  
 impurum & profanum genus procul arcantur.  
 Aleis, latrunculis, scrupulis, talis, si qui se oblecta-  
 re maluerint; nemini tunc vitio dator, modò  
 modicè, ne fortè iacturæ dolor in gaudij, cui hic  
 locus à maioribus dicatus est, sedes mœrorem  
 duxerit. Hisce actis, in eodem sacello Deo ita  
 Opt. Maxi. gratias agunt. In urbem læti ludibundè  
 dique abeunt.



IBIDEM.

*Gaudentem locus hic; procul hinc discedite tristes.*


---

 FERRARIENSIA.
 

---

 IN FERRARIAM IVL. CAES.  
 SCALIGER.

*I*nclita quae patulo fruitur Ferraria caelo,  
 Reginas rerum lumine ditat aquas.  
 Aurea nobilitas: studiorum nobilis oti  
 Ingenia: audaci pectore prompta manus:  
 Magnanimiq; duces, genus alto à sanguine diuūm:  
 Perfugium profugis mœnia sancta viris.  
 Vos meluctifica redeuntem è stragis aceruis,  
 Quos vetus ex ima sede Rauenna gemit,  
 Germano in pugna amisso, fortiq; parente,  
 Quo matris victa vita dolore fugit,  
 Ornatum elogijs, decoratum nomine regum,  
 Auctum Felsinae restituis ope.  
 Saluete her oēs, & quae sanctissima tellus,  
 Fratruq; ac matris, & patris ossa tegis.

---

 IN ASYLO.

 MEMORIAE D. HERCVLIS ESTENSIS  
 Ducis II.

Hic Alphonso Neapolitanorum regi, ob egregiam indolem, charissimus, cum Galeatio Pandonoviro illustri ac fortissimo, vixdum adolescens, non sine maxima laude singulari certamine depugnauit: ad Molinellam Venetorum exercitum hostili